



Disputatio juridica inauguralis de mandato

<https://hdl.handle.net/1874/340686>

11

DISPUTATIO JURIDICA
IN A U G U R A L I S,
DE

MANDATO,

Q U A M

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inclyta Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis.

Eruditorum examini subicit

JOHANNES vanden BRANDELER, Dordr. Bat.

Ad diem II. Junij hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM;

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō loc LXXXVII.

Æternæ
JUSTITIÆ, SAPIENTIÆ,
Ac
Æquitati
PATRIÆ, AMICIS
Nec non
O M N I B U S
Jurisprudentiæ
F A U T O R I B U S
Et
Cultoribus.

*Hanc Disputationem Inauguralem ea qua par
est animi observantia consecrat*

JOHANNES vanden BRANDELER.
Auctor.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
MANDATO.

THESIS I.



*M*andatum quod (rejecta Donelli aliorum-
que sententia, qui mandatum ex eo dictum
putant, quasi de manu mea datum) à ma-
nu quæ fidei symbolum est, dictum pu-
tatur, est contractus, quo negotium honestum
alteri gratis gerendum committitur & ab eo-
dem suscipitur. Quod mandatum sit contra-
ctus, hoc clare patet ex t. inst. de obl. que
ex consen. & pr. inst. h. t. Dicitur negotium
honestum. Quia rei inhonestæ mandatum nullam parit obligatio-
nem, l. 6. §. 3. ff. h. t. & l. nec prætermittendum 57. ff. pro soc. & l. ge-
neraliter. 26. cum seq. & l. si flagitii. 123. ff. de verb. obl. Dicitur
gratis. Nam mandatum, nisi gratuitum, nullum est: trahit enim
originem ab amicitia & officio; contrarium vero officio est mer-
ces, & interveniente pecunia res ad locationem & conductionem
potius respicit, l. 1. §. 4. ff. h. t. Si tamen remunerandi causa hono-
rarium sive salarium interveniat, nihilominus dicitur mandatum
esse, proque eo promisso apud provinciæ præsidem extra ordinem
agi posse, Imp. rescripserunt in l. 1. in fin. c. h. t. & Ulpianus in l.
6. ff. eod. Dicitur alteri committitur. Quia commissio illa fit nudo
consensu, qui quomodo exprimatut aut significetur nihil interest.
Consentire enim intelligitur committens non tantum cum verbis
expressis, vel literis mandat, sed etiam cum negotium suum ab alio
geri videt & non contradicit, l. 6. §. 2. & l. 18. & l. 53. ff. h. t. junct.
l. 20. §. 1. eod. & l. 6. C. eod. Qui enim non prohibet pro se interve-

4 DISPUTATIO JURIDICA

nire, creditur mandare, *l. 60. ff. de R. J.* Dicitur *gerendum*. quia negotii jam gesti nullum est mandatum. Dicitur & *ab eodem suscipitur*. Nam susceptio illa etiam fit consensu, non tantum cum quis expresse vel dicit, vel scribit se negotium commissum suscipere, sed & cum vel ipso facto, vel silentio voluntatem suam declarat. Nam & qui absentis literas, quibus sibi negotium committitur recipit, iisque non contradicit, mandatum suscepisse præsumitur, *l. 16. ff. ad S. C. Mac.*

II. Ex eo autem quod dicitur mandatum contractum esse, facile intelligitur quinam hoc negotium committere vel suscipere possint. Certe illi tantum qui ex contractu obligare & obligari possunt. Excluduntur itaque, Primo, furiosus, quia consentire & contrahere non potest. *l. 5. ff. de R. J.* Secundo, prodigus qui furioso comparatur, *l. 40. ff. de R. J.* licet enim videatur mentis compos, tamen quo ad bonorum administrationem furiosus dicitur habere exitum, *l. 12. §. ult. ff. de tut. & cur. dat.* Tertio, pupillus, absque tutoris auctoritate, *pr. inst. de auct. tut.* Quarto mulier in causa aliena, ne intercedere videatur, contra mentem senatusconsulti Vellejani, *l. fina. §. si mulier. ad senat. cons. Velleja.* Quinto, servus quoad actionem, *l. 33. ff. de procur.* Quia legitimam personam standi in iudicio non habet, nisi de statu suo litiget, *d. l. 33. §. 1. de procur.* Quoad negotia pecuniaria recte mandat servus, *d. l. 33. in pr.* Ita tamen. ut domino, & in dominum actio competat, *l. 12. §. 3. ff. b. t.* Potest & mandare mandatarius, *l. 8. §. 3. ff. b. t.* Quod indistincte procedit quo ad negotia; nisi sit electa personæ industria: non autem quo ad lites; nisi in rem suam quis sit datus; quia nullius alterius est præjudicium aut litem contestatus sit, *l. 11. C. de procur.* Per quam procurator fit dominus litis, ut etiam alteri mandet, vel alterum substituatur.

III. Mandatum suscipere potest quilibet, qui se contrahendo obligat. Ut filius familias cum liberam habeat personam & se obligare possit, *l. 12. §. 6. & l. pen. ff. b. t.* Mulieri etiam non minus quam viro mandari potest, modo mandatum personæ ipsius conveniat, *l. 3. in prin. ff. de neg. gest.* Et non sit officium virile, à quo removetur mulier, *l. 2. ff. de R. J.* Sed nec minor videtur mandatum suscipere posse, & hoc de Jure Canonico, *c. 5. de procur. in 6.*

Quod

Quod secus est Jure Civili, quia mandator sibi imputare debet, si à minore causa ejus minus recte sit gesta, Cujac, 12. *observat. cap. 16.* Sponte vero sua alicujus defensionem suscipere non potest, propter remedium restitutionis in integrum, l. 51. ff. *de procur.*

IV. Mandari possunt omnes res & facta modo sint honesta & licita. Facti enim illiciti aut rei inhonestæ mandatum nullam parit actionem, l. 6. §. 3. ff. *h. t.* Sic nec illud mandatum est obligatorium, quod contra bonos mores est: veluti si adolescens luxuriosus mandet tibi, ut pro meretrice fidejubeas, & tu sciens mandatum susceperis, non habebis mandati actionem: quia simile est, quasi perdituro pecuniam sciens credideris. Sed & si ulterius directo mandaverit tibi, ut meretrici pecuniam cedas, non obligabitur mandati; quasi adversus bonam fidem mandatum sit. l. si vero 12. §. 11. ff. *h. t.* Si tamen tertio ex tali mandato damnum contigerit, actio est, & in mandatarium, qui damnum dedit nunquam excusandum per jussum alterius, quo ut in turpi non obligabatur, l. non solum 11. §. 3. cum seq. ff. *de injuri.* Et in mandantem, qui agens per alium ipse egisse videtur. Quo cædem mandans, ea subsecuta tenebitur pœna legis Corneliæ de sicariis, cum nihil interfit, occiderit quis, an mortis causam præbuerit, l. 15. ff. *ad leg. Corn. de sicar.*

V. Illud autem graviter controvertitur: utrum mandans hominem vulnerari, & prohibens, protestansque expresse, ne occidat, si eum mandatarius occiderit, ordinaria legis Corneliæ de sicariis pœna teneatur? Sed (rejecta opinione illud affirmantium) negativam sententiam æquitati ac veritati magis convenientem amplectuntur, Romuleus in tract. *de homicid. part. 2. n. 293. cum seqq.* Dec. *cons. 482.* Covarr. in *clen. si furiosus de homicid. part. 2. §. 1. n. 3.* Fach. 1. *contr. 36.* Christin. *volum. 3. decis. 49.* Arum. *disp. 15. exerc. 9.* Clarif. Cyp. *Regn. ab Oost. disp. ad inst. 20. th. 11.* Gomes. 3. *re. cl. 3. n. 8.* Voet. *ad §. 7. inst. h. t. n. 2.* Ratio est quia in proposito themate non intervenit dolus, nec animus occidendi, cum mandans expresse prohibuerit occidere, & per consequens pœna legis Corneliæ non tenetur, l. 1. §. 3. *ad leg. Corn. de sicar.* Principium perpetrandi inspicitur non enim exitus, quod ex animo æstimatur, l. 14. ff. *ad leg. Corn. de sicar.* Qui non fuit in mandante alius quam ut vulneretur adversarius, non ut occidatur. Licet cogitare potuerit mandans, quod

§ DISPUTATIO JURIDICA

mors subsequi potuerat : tamen animum occidendi non habuit, sed fuit in lata culpa : ideoque ordinaria mortis poena non est puniendus : quia lex Cornelia dolum tantum requirit, culpam quantumvis latam non recipit, *l. 7. ff. ad leg. Corn. de sicar.*

VI. Cum vidimus definitionem, quique mandare, mandatum suscipere, & quæ res mandari possunt transeundum est ad divisionem : dividitur Primo in *Judiciale*, quod habet procurator ad negotia, qui quia ex mandato domini negotia gerit mandatarius dicitur. Secundo, vel in *generale* vel in *speciale*, mandatum generale est, cum universitas quædam negotiorum mandatur, *l. 58. & seq. ff. de procur.* Et hoc interdum vel *cum libera* vel *sine libera*. Speciale est cum unum aut alterum negotium speciatim mandatur. Tertio in *expressum*, quod expresso consensu constat : vel in *tacitum*, quod præsumpto consensu perficitur, *l. 6. §. 2. & l. 18. ff. h. t.* Quarto vel in *voluntarium*, quod sponte ab aliquo suscipitur, de quo hic agitur : vel in *necessarium*, quod magistratus vel pater vel dominus mandat. Quibus parere cogimur, *l. 4. ff. de R. f.* Quinto, quod sit vel in *diem* vel *conditionale*, *l. 1. §. pen. ff. & §. pen. inst. h. t.* Mandatum autem conditionale ante conditionem existentem nullam parit actionem.

VII. Ratione finis mandatum contrahi dicitur, I. *in gratiam solius mandantis*, Veluti si tibi mandem ut negotia mea geras, vel ut fundum mihi emas, vel ut pro me fidejubeas, *l. 2. ff. h. t. & §. 1. inst. eod.* II. *vel in gratiam mandantis & mandatarii* : Veluti si quis mandet tibi, ut pecuniam sub usuris crederes ei, qui in rem ipsius mutuaretur. *l. 2. §. 4. ff. h. t. & §. 2. inst. eod.* III. *vel aliena tantum gratia* : Veluti, si quis mandet ut Titio fundum emeret, vel ut Sempronii negotia gereret, *l. 2. §. 2. ff. h. t. & §. 3. inst. eod.* Quo casu licet mandantis nihil intersit, nihilominus tunc datur actio mandati, cum id fieri, quod mandavit, postquam mandavit aliquid fieri interesse cepit ejus, qui mandavit, *l. 6. §. 4. junc. l. 8. §. 6. h. t.* Quod v. gr. is, qui mandatu meo alterius negotia gessit, si non recte gesserit, ego, cujus nomine mandatum est gestum, teneor domino, actione negotiorum gestorum, *l. 21. §. 3. & l. 28. ff. de neg. gest.* IV. *vel in gratiam mandantis & aliena*. Veluti si quis mandet sua & Titij negotia communia geri, vel sibi & Sempronio fundum emi, *l. 2.*

§. 3. ff. h. t. & §. 4. inst. eod. V. vel in gratiam mandatari & aliena: Veluti, si quis tibi mandet ut Titio sub usuris credas, l. 2. §. 5. ff. h. t. & §. 5. inst. eod. VI. vel in gratiam mandantis, mandatarii & aliena: Veluti, si tutor contutori mandet pupillo mancipium emere, l. 8. §. 4. ff. h. t.

VIII. In gratiam mandatarii solius mandatum contrahi nequit. Quia magis consilium, quam mandatum est: & ob id nulla ex eo obligatio nec mandati actio nascitur. Nam qui mandat, vult & urget negotium geri, sed qui dat consilium, alteri apud se explorandi potestatem relinquit, an sibi expediat consilium: consilii enim obligatio nulla est, l. 2. §. 6. & l. 6. §. 5. ff. h. t. & §. 6. inst. eod. Sunt tamen tres casus quibus consultor tenetur, Primo, si consilium fuerit fraudulentum, ob quod si dolo fecit, non mandati, sed actione de dolo tenetur, l. 47. ff. de R. J. & l. 8. & l. 23. & l. 31. ff. de dol. mal. & l. 2. ff. de proxenec. Etsi enim qui consilium dat eventum non præstet, fidem tamen præstare tenetur, Cic. l. 16. ad Atti. ep. 8. Secundo cum quis non simpliciter rem alteri commenda-verit, l. 12. §. 12. ff. h. t. Sed specialiter persuaferit, ac induxerit, ut ex. gr. certam personam sceneraret, quod non facturus fuisset, nisi ita mandatu isto singulariter inductus fuisset, l. 6. §. 5. in fin. ff. h. t. & §. 6. inst. eod. Tertio, si periculum mandans in se susceperit, l. si heredatatem. 32. ff. h. t.

IX. Oritur autem ex mandato actio duplex, directa & contraria. Directa mandati actio datur mandanti cujus interest, ejusque heredibus: adversus mandatarium, ejusque heredes, ut si recte sit executus, præstet id quod mandati nomine acquisivit si vero mandatum non præstitit, vel fines ejus egressus sit, ut interesse & damnum, quod propter culpam ejus mandanti datum est, præstet. Datur mandanti, sed tum cum interest ejus l. 8. §. 6. ff. h. t. Si vero nihil interest, ut puta alicui quis mandat ut sibi domum emeret, vel ejus negotia gereret, si nec emerit, quia mandator ipse, vel alius sibi emit, vel sui nihil interfuerit: nec gesserit, quia nihil deperierit, quamvis nemo, vel alius bene gesserit, cessat mandati actio, l. 8. §. 3. & §. 6. ff. h. t. Datur adversus mandatarium, quia mandatum suscepit, nam initio sibi liberum erat suscipere vel repudiare, postea oportet susceptum consummare, aut tempestive renuntiare, alias tenetur, §. 22. §. ult. ff. h. t. & §. 11. inst. eod. Sed cum duo man-

8 DISPUTATIO JURIDICA

mandatum susceperint, quæritur an unusquisque teneatur in solidum, quod affirmatur, *l. 60. §. 2. ff. h. t.* ille vero prius conveniendus qui gessit, *l. ult. C. de divid. tut.* Huic consequens est, quod mandatarius teneatur id omne restituere, quod occasione mandati ad eum pervenit, *l. 10. §. 3. ff. h. t.* ex. gr. si fundum mihi emit, & fructus inde consecutus est, hos mihi restituere cogitur, *l. 10. §. 2. ff. h. t.* Præterea si quid emolumenti ceperit ratione rei mandatæ, adeo ut & usuras, quas ex pecunia mandantis percepit restituat, vel etiam ex eo, quod eam in usus suos convertit, & in mora sit restituendi, *l. 10. §. 3. & 8. ff. h. t.* Hinc & actiones, occasione mandati acquisitas, tenetur cedere mandatarius, *l. 8. §. 5. & l. 43. & l. 45. prin. ff. h. t. & l. 49. §. ult. ff. de acq. possess.* Tenetur etiam mandatarius si præscriptos mandati fines egressus sit, vel aliud faciat, quam quod ei mandatum est, *§. 8. inst. h. t. & l. 5. pr. §. 1. ff. eod.* ex. gr. mandavi tibi ut domum meam centum venderes, tuque nonaginta vendideris, egressus es mandatum & ideo si domum petam, non obstat mihi exceptio, nisi & reliquum mihi, quod deest, mandatu meo præstes, & indemnem me per omnia conserves, *l. 5. §. 3. ff. h. t.* Similiter si mandavero tibi ut emeris fundum centum, tu vero centum & viginti emeris, Sabinus & Cassius, te contrario iudicio usque ad summam concurrentem experiri posse, negabant, quia aliud factum, aliud mandatum erat. Sed in centum te utiliter agere benignius visum est, *§. 8. inst. h. t.* Quæritur autem an viginti possint peti actione negotiorum gestorum? Quod neg. Quia actio negotiorum gestorum competit ei tantum, qui absente & ignorante Domino, non qui invito gessit, *l. ult. c. de neg. gest.* Quodque res mali exempli foret, si hac ratione permetteretur excedere fines mandati. Item, tibi mandavi, ut pro me in diem fidejuberis, tuque pure fidejusseris & solveris, interim non erit tibi mecum actio, sed cum dies venerit, *l. 22. ff. h. t.*

X. In summa mandatarius non solum dolum, latam & levem culpam, sed quicquid ex bono & æquo præstandum venit, imo etiam levissimam præstare tenetur, *l. 13. & l. 21. c. h. t. & l. 23. ff. de R. J.* Quod etiam agnoscit Cicero in oratione pro Rosc. Armerino: cum inquit: *in privatis rebus, si rem mandatam non modo malitiosius gesserit, seu questus aut commodi causa, verum etiam negligentius,*

gentius, is admittit summum dedecus. Quid enim recipis mandatum, si aut ad tuum commodum conversurus aut neglecturus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis & obstas? Rebus enim mandatis suas post habere consentaneum est: unde Charinus apud Plant. in Mercat. act. 2. sc. 3. Sape ex te audivi pater rei mandata apud sapientes plurimum pravorti decet. Quam sententiam amplectitur Cujac. in sent. Pauli lib. 1. tit. 4. Item 2. diff. modest. ad leg. 23. ff. depos. Item ad leg. 23. ff. de R. J. Duar. h. tit. c. 2. Mozz. col. 4. de natur. Donell. 13. comm. 11. Neque mandatarius queri potest, officium suum sibi esse damnosum, cum non sit damnus quod quis culpa sua sentit, l. 203. ff. de R. J. Nam mandatarius cum mandatum suscipit, ex ipso officio gratis suscepto, & in fide amici data id actum videtur, ut exactissima diligentia præstetur, amicitiaque & fides promittatur, Cuja. 2. diff. Donell. ad leg. 11. c. h. t. Contra fidem autem gerit, qui negligentius gerit.

XI. Contraria mandati actio datur mandatario, ejusque heredibus, cum mandatum suscepit, l. 12. §. 7. ff. h. t. Adversus mandantem, ejusque heredem, sive expresse sive tacite mandaverit, l. 6. §. 2. ff. h. t. Non vero si tantum nuda commendatio fuerit, l. 12. §. 12. ff. h. t. Ut indemnis servetur, & recipiat impensas necessarias & utiles bona fide in negotium mandatum factas, l. 12. §. 9. ff. h. t. & l. 27. §. pen. & l. 45. §. 6. ff. eod. Hoc est si nihil culpa ipsius factum sit, sumptus quos probabili ratione fecerat, contraria mandati actione repetat, l. 4. c. h. t. Quod procedit etiam si Dominus minus forte impensarum fecisset si ipse negotium gessisset: nec interest an executio felicem an infelicem exitum habuerit, l. 4. c. h. t. Nam eventum præstare non debet mandatarius, sed sufficit si diligentiam adhibuerit quam debuit: idque innuit Alex. Imp. in d. l. 4. c. h. t. cum scribit, sufficere, si nulla mandatarii culpa intervenerit, quo minus ex voto negotium successerit. Præterea si quid ipsi causa mandati abest, præstet una cum usuris post moram, vel etiam ante, si pecuniam quam impendit, vel ab alio sub usuris sumpsit, vel ab eo qui eam sibi sub usuris debebat, exegit, l. 1. & l. 18. & l. 20. in fin. c. h. t. & l. 20. ff. de neg. gest. Tenetur etiam mandans refarcire omne damnus dolo suo & quamvis culpa etiam levissima mandatario datum, l. 61. §. 5. ff. de furtis & l. 26. §. 7. ff. h. t. Sed quæritur, an

mandatarius, si, cum ad perficiendum mandatum proficiscitur, à latronibus spoliatur, vel in morbum incidat, à mandante istud damnum possit repeti? Quod negatur, *l. 26. §. 6. ff. h. t.* Nam non mandatori istud damnum imputari debet, quia casus magis quam mandatum hoc causerit, & quia mandato non imputentur damna, nisi quæ proxime per illud causata sunt. Ac licet honestas aliud velle videatur, illa tamen non est obligatoria: atque ita in simili judicatum refert, Cujac. *ad l. 26. §. 6. ff. h. t. l. 33. Pauli ad edictum.* Et Ant. Faber. *in cod. hoc. tit. definit.* Si tamen nomine officii præstiti damnum acceptum fuerit, vel quid culpæ, aut facti mandatoris imputari possit: omne id quod tibi ejus nomine abest, mandator restituere tenetur, *l. 61. §. 5. ff. de furtis,* & Cujac. *tract. 8. ad Africanum.*

XII. Sequuntur jam quinque modi quibus mandatum recte contractum extinguatur & finiatur. Extinguitur, primo, mutuo utriusque consensu. *§. ult. inst. quib. mod. toll. oblig.* Quia nihil tam naturale est, quam unum quodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, *l. 15. & l. 153. ff. de R. J.*

XIII. Extinguitur secundo revocatione mandantis re integra, *l. 12. §. pen. ff. h. t. & §. 9. inst. cod.* Nam qui mandavit, non obligatur, ut quod semel mandavit, perfici patiatur: quod videtur esse præter regulam, traditam *in l. 5. c. de obl. & act.* Neminem ab obligatione semel constituta, adversario non consentiente, recedere posse, quæ regula in mandato aliisque contractibus exceptionem patitur. Quia absurdum videtur quod is, quod sua causa susceptum est, repudiare, aut opera atque officio ab altero gratis suscepto non uti, vel suo favori, cum mandatum plerumque mandantis causa fiat, renuntiare prohiberetur, *l. 29. c. de pact.* Nec habet, quod conqueratur mandatarius, cujus nihil interest, si re adhuc integra revocatio facta sit. Sed etsi re non integra mandatum revocetur, nihilominus solvetur, sed ita tamen, ut quod post à mandatario fit, non intelligatur fieri ex mandato: cæterum hic ex antegesto, vel gesto antequam sciret, mandatorem revocasse, ut consequatur, quod ei propter mandatum abest, actionem mandati habet, *l. 15. & 26. in prin. ff. h. t.* Revocatio autem illa non solum intelligitur expresse fieri, sed interdum tacite fieri potest, *l. 41. ff. de reb. cred. & §. 10. in fin. inst. h. t.*

XIV. Præ-

XIV. Prætera solvitur tertio, renuntiatione mandatarii re integra, quæ non minus huic libera est, quam mandanti revocatio. Licet susceptum mandatum consummare & explere promiserit, *l. 22. §. ult. & l. 27. §. 2. ff. b. t.* Sed antequam mandantis inter sit susceptum esse, renuntiare debet, ut integrum sit mandatori vel per se vel per alium rem commode geri. *d. l. 27. §. 2. & l. 22. §. ult. ff. b. t. & §. 11. inst. eod.* Si vero dolose vel intempestive renuntiaverit, ad interesse tenetur mandatarius, juxta naturam aliarum obligationum, *l. 13. §. 1. de re judic.* Liberat autem ipsum iusta causa, ob quam vel non tempestive renuntiaverit vel renuntiare potuerit. Quod procedit si tempestate, bello, aut valetudine impeditus fuerit, vel ob inimicitias capitales intervenientes, ob quam renuntiationem prorsus omiserit. *l. 22. §. ult. & l. 23. & l. 24. & l. 25. & l. 27. §. 2. ff. b. t. & §. 11. inst. eod.*

XV. Finitur mandatum quarto morte mandantis re integra, *l. 26. ff. b. t. & l. 15. c. eod.* Quod videtur contra communem regulam, qua placet heredem in univrsum jus succedere quod defunctus habuit. *l. 24. ff. de V. S.* Quod non procedit in mandato, quia natura mandati tacite continetur, ut ne mandatum personam egrediat, præterea quia præstatio officii in mandato, & ratione ejus, cui præstatur, & ejus qui præstat, tota personalis sit, mirum videri non debet mandati actionem cum persona eorum expirare, *l. 8. §. 3. de lib. legat.* Quippe mandatarius amicitiam & fidem spectasse, & in gratiam mandantis officium suscepisse videtur, quod non facturus fuisset æque in gratiam heredum, forte suorum inimicorum. Et quod nec is, qui mandatum suscepit, id morte mandatarii implere teneatur, nec mandatoris heredes, ut patiantur, eum exequi mandatum, obligentur, *l. 33. ff. de acqui. vel omit. poss. & l. 19. §. 3. in fin. ff. de donat. & l. 26. pr. & 27. §. 3. ff. b. t.* Adeo verum est, Ut si mortuo mandatore mandatum executus fuerit, nullam adversus mandatoris heredes habebit actionem, nec, si executus non sit, heredes mandatoris agere poterunt, ut exequatur, aut id, quod eorum interest, præstet, *d. l. 33. ff. de acqui. vel omit. poss. & l. 26. & 27. ff. b. t.* Si vero mandatarius, mandatorem mortuum esse ignorans mandatum bona fide impleverit, contra heredes recte agere: ne iusta & probabilis ignorantia ei damnum adferat. *§. 10. inst. b. t.*

l. 57. ff. eod. & l. 33. ff. de acqui. vel omitt. poss. Sed in hoc casu implere tenetur mandatarius, si ipsi à mandatore specialiter mandatum sit, ut post mortem ejus aliquid faceret, ex. gr. si cui funeris sui curam commisit, vel ut heredibus fundum emeret, vel monumentum sibi fieret, mandavit, *l. 12. §. ult. & l. 13. ff. h. t. & l. 14. §. 2. ff. de releg. & sump. funer.*

XVI. Extinguitur mandatum quinto & ultimo, morte mandatarii, re adhuc integra, *l. 27. §. 3. ff. h. t. & §. 10. inst. eod.* Nam mandatarium, ex singulari cum mandante amicitia id suscepisse, & mandantem certam personam cujus industriæ confidit, elegisse creditur, *l. 57. ff. h. t.* Quæ non potest eadem esse in herede, vel si sit, non tamen electa: cum inter artifices ratione ingenii magnum sit discrimen, *l. 31. ff. de solut.* Ideo heredes mandatarii, mandati executione nondum cæpta, neque tenentur, neque mandatum exequi possunt, *l. 27. §. 3. ff. h. t. & §. 10. inst. eod.* & adeo, ut si expediverint vel impensas fecerint, illarum nihil actione mandati contraria consequantur, *l. 57. l. 27. §. 3. ff. h. t.* Dixi re adhuc integra, non propterea ut postquam res integra esse desiit seu interesse cæpit, alterutrius morte mandatum non solveretur, sed ut actio mandati sive directæ sive contrariæ, ad id quod jam interesse cæpit competat; nam actio ante mortem nata post mortem perveerat. *l. 26. & l. 57. & l. 58. ff. h. t.*

C O R O L L A R I A.

I.

Indebitum errore juris solutum non potest repeti.

II.

Princeps legibus Civilibus solutus est.

III.

Inter omnes conjunctos jus accrescendi locum habet.

IV.

Testamentum tempore pestis conditum indistincte septem testes requirit.

F I N I S.